



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Quàm magnum sit beneficium, si cui Deus mentis oculos aperiat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

verentur, cæci sunt; & tanto cæciõres, si neque necessitatem videndi agnoscunt, atque idcirco, cum ante dicto cæco, non flagitant à Christo, vt videant, cæcitatẽque deponant, agnitã præsentia Numinis omnia perspicuè cernentis, & recto ordine gubernants. Hanc autem præsentiam si vident, iam non fiunt impatientes, neque offenduntur vlla re, præter opinionem, supraque captum illorum, contingente; sed quoties non capiunt, toties cum Dauide exclamant: *Iustitia tua, sicut montes Dei* (hoc est maxima, sicut maximi montes, qui in Scripturis per *montes Dei* intelliguntur) *Iudicia tua abyssus multa*, quæ non potest humanæ mentis acies penetrare. Quod autem non potest suis viribus, diuino auxilio efficit: id proinde, cum dicto cæco, quàm enixissimè est implorandum; cum præsertim, ad cauenda peccata, ad timorem, amorẽque, & reuerentiam diuinæ maiestatis, ad omnem deniq; virtutem, ac religionem ipsam exercendam, præcipuum sit fundamentum, Deum credere vbique præsentem, & quidquid vbique geritur, contemplantem, moderantem, statuentem, aut permittentem.

Pfal. 35.7.

Quare, quos maximè amat, illis oculos aperit, vt diuinum oculum, Solis instar, lucidissimum, identidem, tanquam cynosuram, intueantur, dicantque: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in calis. Ecce sicut oculi seruatorum, in manibus Dominorum suorum. Sicut oculi ancille in manibus Domina sua: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Qui sic ambulat, non ambulat in tenebris; non offendit, non offenditur, etiamsi rationem non capit; satis est illi, Deum aut fecisse, aut permisisse, omnia intimè lustrantem & æquissimè gubernantem. Qui hoc videt, non est cæcus, etiamsi aliam causam non videt. Exemplo est, qui dixit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tue.* Nam media nocte saltem hoc videbat, confitendum esse Deo, super iudicia iustificationis illius quantumuis occulta.

V.

Pfal. 122.2.

Pfal. 118.

Imploratur & impetratur hoc beneficium, aliquando vitæ sanctitate, aliquando oratione, aliquando vltro à Deo ingeritur, vt iustitia eius fiat manifesta. Ob vitæ sanctitatem Iosepho Mariam occultè dimittere volenti *Angelus Domini apparuit in somnis dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* En quantum mysterium cognoscere meruit innocentia! Alius sic orauit: *Seruus*

VI.

Matth. 1.20.

Pfal. 118.